



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Epistola XLI. Flauio Damoetæ, Albinvs Perpetvæ Pacis salutem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

spectatur diei crastini incertitudo? Non sit dilatio in salute animæ. Quod animo cogitatur, opere perficiatur quod infirmitas optauit, sanitas peragat.

Testis est, qui omnia nouit, mei cordis: hoc plena charitate, & fideli consilio me suadere. Scio, me post te, in loco tuo talem non habere amicum: sed magis te velim amicum habere in honore permanente, quam pereunte; & intercessorem apud DEVM gaudere, quam largitorem in loco. Petatur à DEO auxilium, ut amicorum confirmet consilium, & suis iter salutis ostendat, & dirigat in viam pacis quos proprio redemit sanguine.

Ecce quali precio empti sumus. Non amemus ea, que nos separant ab eo: qui nos vsque ad mortem suæ carnis dilexit. Plurimos dies seculo seruiuimus satis: vel paucos qui restant, viuamus DEO nostro; ut digni efficiamur faciem illius videre, qui dixit; Beati mundo corde, quoniam ipsi DEVM videbunt. Lætus lege, & constanter incipe, & fideliter perface, & sit Dominus tecum in æternum.

Matth. 5.

EPISTOLA XLI.

Flauio Damocetæ,

ALBINVS PERPETVÆ PACIS salutem.

DE vestra valde gaudeo prosperitate, & de munere charitatis vestræ multum gauisus sum. Tot agere gratias, quot dentes in dono numeravi. Mirum animal, duo habens capita: & dentes singuli, non elephantinæ magnitudinis, sed eburneæ pulchritudinis. Nec ego huius bestię territus horrore, sed delectatus aspectu. Nec me frendentibus illa mordet dentibus. Timui: sed blandi-

adulatione, capitis mei placare capillos arrisi. Nec ferocitatem in dentibus intellexi, sed charitatem in mente dilexi, quam semper fideliter in illa probavi.

Sed, quantum gaudeo in amoris dulcedine, tantum doleo in absentia longinquitate. Noluissem tanto tempore ab invicem separari, quos eiusdem charitatis dulcissima colligant vincula. Quid faciam, nisi lacrymans sequar amicum; donec reueniat, quem animus optat habere praesentem?

O fili charissime, inter occupationes seculi, non obliuiscare tui: sed dum corpus epulis pascitur, anima eleemosynis reficiatur. Et dum fatigata ex itinere membra quiete refocillantur; mens in DEO, orationibus roboretur: & in diuersarum auditu causarum iustitia semper resonet in ore; & ex intimo cordis affectu, miserorum proueniat consolatio; & spes æquitatis non fallat aduenientes: nec pietatis desint suffragia confugientibus ad vos. quia pietas in pauperes gesta, æterna remuneratur beatitudine.

Hæc, fili mi, faciens, floreas in omni virtutum decore: & te, quocunque vadas, diuina comitetur protectio: euntemque vbique deducat prosperè, ac redeuntem cum omni prosperitate. Citius redeas ad nos, vt gaudeat

amor patris in filio: & laudetur DEVS vbique,

qui vos famulos sibimet inuicem præ-

sentabit ouantes. Vigecas, valeas,

& floreas dulcissime Da-

mcta.



M 2.

EPI.

CCCLXV
SII
SIV
24